[Vinzenz Staufer]: Catalogus codicum manu scriptorum, qui in bibliotheca monasterii Mellicensis O.S.B. servantur I

Melk, 1889 Seite VI

Quelle:
Copyright:

his rebus momenti ex hoc monasterio additum sit, optime perspexerint, omni tempore sollemnem ac festum habitum esse. Qui dies memoria dignus cum octo saeculis praeterlapsis temporum cursu rediturus esset, ut sollemnis ac festus pro doctorum virorum more ageretur, non magna hominum frequentia celebraretur, Vincentius Staufer, qui per tria fere decennia huius monasterii bibliothecae praeerat, summo opere nisus id egit, ut qui in hac bibliotheca servantur libri MSS. in aspectum lucemque proferrentur, quippe qui optime nosset, et quantum his libris maioris pretii prae aliis inesset, et quantum cum liberalioris educationis hominibus tum maxime monachis conveniret animus gratus. Cuius gratae recordationis monumentum, postquam Vincentius, quominus institutum opus perficeret, atroci morbo impeditus eique praematura morte ereptus est, hic librorum MSS. catalogus sub auspiciis Alexandri abbatis huius nominis I. a monasterio Mellicensi editus in lucem prodiit, et ut dies ille docto litterarum apparatu celebraretur, et ut eorum, qui hic illis saeculis in omnibus fere litterarum generibus de humanitate atque eruditione optime meruerant, merita, quae certe sublata memoria et gratia exstare possunt nulla, omnium ore laudibus ornarentur.

Hoc igitur libro, cui gratae memoriae professio aut laudi erit aut saltem excusationi, qui in bibliotheca nostra servantur codices MSS. continentur exclusis iis, qui post saeculum XV. exarati sunt. Quattuor vero eorum genera, si accuratius inspexeris, facili negotio poteris distinguere: primum est eorum, quorum docti auctores Benedictini Mellicenses pro sua quisque ingenii facultate aetatis suae humanitatis atque urbanitatis certissimi testes exstiterunt; alterum eorum, quos librarii Mellicenses maiore vel minore scribendi sollertia usi e libris aliunde petitis transcripserunt; tertium eorum, quos, id quod ex eorum inscriptionibus facile intelligitur, homines pietate ac religionis studio ducti monasterii nostri ecclesiae ad S. Colo-